



Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1541. usque ad annum 1546

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1770

VD18 90118510

§. 83. Bussetini colloquii ratio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66615](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-66615)

Sæcul. XVI. itineris habita ratione , spretisque &
A.C. 1543. statis ardentissimæ incommodis Bu-
 setum contendit , Romani regiminis
 cura interim Carpiensi Cardinali reli-
 cta. Præmiserat Papa duos Legatos ,
 qui adventantem Carolum exciperent ,
 eorumque prior erat Cervinus , alter
 vero Parisius , quem Tridento evoca-
 verat , ipse vero Buffetum venit vige-
 sima tertia Junii , ipsa nimirum die ,
 qua Cæsar unacum Cardinale Farne-
 sio itineris socio illuc advenerat .

§. LXXXIII.

Buffetini Colloquii ratio.

Pallav. l. c. Diversabantur ambo in eodem Pa-
 u. 5. latio , ubi summus Pontifex alte-
 Ant. Vera ra die S. Joanni Baptistæ sacra rem
 l. c. divinam peregit , postea vero unacum
 Belc. comm. Cæsare ad suum cubile secessit , cum
 l. 23. n. 33. autem præprimis de pace sermonem
 institueret , Carolus ex primo hujus
 colloquii argumento probe perspexe-
 rat , se haud temere fuisse suspica-
 tum , quod Papa eo fine colloquiū
 habere intenderit , ut eum ad pacem
 cum Francisco Galliarum Rege fir-
 mandam induceret , quam etiam in
 rem Grimanus Cardinalis , Vir rerum
 gerendarum dexteritate celeberrimus ,
 quem

quem Papa secum adduxerat, proli- Sæcul. XVI.
xo admodum sermone Cæsarem ad A.C. 1543.
concordiam hortabatur: Ast in irri-
tum cecidit Cardinalis conatus, eo-
quod Imperator constanter profitere-
tur, se nulla prorsus ratione permo-
vendum, ut veniam daret ejusmodi
homini, qui in tot occasionibus eum
circumvenire molitus esset, proin se
pacem minime daturum edixit, et si
eam ipsem Galliarum Rex supplex
ab ipso rogaret. Posthæc vehementi-
bus oppido verbis ulterius mentem
suam explicabat, satisque aperte suum
a reddenda pace alienum animum o-
stendebat, speciatim questus, quod
Galliarum Rex millenis fraudibus,
clandestinis consiliis, ac pecuniis om-
nes suos conatus eo intenderit, ut
Germaniæ Principes, illos quoque,
qui ceteroquin Cæsari erant addictissi-
mi, auro corrumperet, eosque indu-
ceret, ut relictis Cæsaris partibus ar-
ma in ipsum converterent, hancque
in rem pacta prorsus proficua ab illo
Principibus fuisse proposita, ac reip-
sa hoc artificio Cliviensem Ducem fuis-
se ad arma ipsi inferenda animatum,
ajebat Imperator. His quoque sub-
junxit, quod ad dignoscendam Galli-
ci Regis indolem sufficiat animum re-

Sæc. XVI. flectere ad armorum societatem, quam
A.C. 1543 ipse cum Turcis adeo ignominiose
 iniit, ut ipsis etiam infidelibus ejus-
 modi perfidia offensioni esset. Præ-
 terea Imperator plura alia adversus
 Galliarum Regem protulit.

§. LXXXIV.

*Imperator ad pacem cum Galliarum
 Rege ineundam a Papa ad-
 monitus.*

Extat in Verum hæ Cæsaris rationes Pontifici
acti Confist. minus firmæ videbantur, quapro-
secret. ab A- pter eidem blandis omnino verbis hæc
lex. Farnesio exposuit: „ Auguste Cæsar, perpen-
Vicecancell. M. S. Card. „ das velim, quod nunquam opus
Spadæ sign. „ magis gloriosum, magisque Reli-
 133 p. 4. o. „ gioni proficuum perficere valeas,
 „ quam si ejusmodi inimico ignoveris,
 „ quem jam antea armis tuis ac ma-
 „ gnanimitate debellasti. Nam quam
 „ festivis acclamationibus, atque en-
 „ comiis nomen tuum universa Chri-
 „ stianorum respublica celebrabit, si
 „ eidem pacem reddideris? Quan-
 „ tam quoque gloriam per universum,
 „ qua late patet, orbem tibi conci-
 „ liabis, si arma tua non in Christia-
 „ nos, sed in Turcas converteris? ip-
 „ si etiam Angeli in cœlo triumpha-
 „ bunt,